

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 9033

**Auteur(s) :** Raoul, Fougères (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1156-1182]

**Action juridique :** notification

**Description de l'original :** Chirographe

**Langue du texte :** latin

Chirographe

## Analyse

Raoul de Fougères fait connaître l'accord conclu entre l'abbaye de Savigny et les fils de Juhel, Richard et Alain : Richard Juhel donne à Savigny tous ses biens et ses droits dans la paroisse de Savigny et sur son cadet Alain. Il reçoit en échange 20 livres mansois ainsi que, sa vie durant, la terre de Pontellis.

## Tableau de la tradition

### Copies manuscrites

D. Paris, BnF, n. a. lat. 1022, n° 32, p. 41-45. Copie du XIXe siècle

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Abrincensi, n° XXXII)

L'original de cet acte (Paris, Arch. Nat., L 975, n° 1075) est actuellement introuvable.

Cette donation se situe entre deux chartes de confirmation générale du roi Henri II, de 1156-1158 et de 1177-1182.

### Texte d'après D

Ego Radulfus Filgeriensis dominus, concordie posterorum tranquillitatemque (sic) consulens, presente me et concedente explanatum negotium obsequis literarum usque ad successorum novissimam generationem cognoscendum transmittito. Noverint igitur universi fideles quod monachi Savignei et Ricardus et Alanus filii Juhel de Savigneio in verba ista pactum suum confirmaverunt : Ricardus Juhel quicquid habebat in villa et in parrochia Savigneii in dominio et in hominibus, in terris et in pratis, in bosco et in molendino et in omnibus omnino rebus plene et absque ulla retentione in perpetuam elemosinam ecclesie et monachis Savigneii dedit et super Alanum fratrel ejus et super totum feodum suum jus primogeniti et illud dominium quod super eum habebat sicut frater suus primogenitus. Insuper si Alanus frater ejus totum vel partem feodi sui monachis Savigneii in posterum dederit aut aliquam de eo cum eos conventionem fecerit et hic ipsum Ricardus quiete et absolute concessit. Monachi vero Savignei de caritate ecclesie dederunt et XX libras cenomannensium. Dederunt etiam ei in vita sua juxta Castelliolum totam terram suam de Pontellis de se tenendam liberam penitus et quietam, hac conditione quod Ricardus illam nec dare, nec vendere, nec invadiare seu aliquo modo impedire vel etiam post mortem suam ulli hominum neque etiam filiis suis si habuerit relinquere possit, post mortem ipsius Ricardi eadem terra ad proprietatem et possessionem monachorum quietam penitus et absoluta sicut autem fuerat, revertetur. Si autem de

terra illa calumpnia aliqua adversus Ricardum exorta fuerit quod monachi libere eam adquietare non valeant, dabunt ei alibi de terra sua in Loratorio scilicet vel in Livareio sive juxta Erneiam eadem conditione que superius dicta est. Et si terra illa quam dabunt ei monachi pro terra de Castelliolo illud quod minus valuerit, restituent ei in denariis vel deneratis secundum quod judicaverint ex parte monachorum duo monachi qui terram illam noverint estimare et ex parte Ricardi Alanus frater ejus et Ricardus de Poeio vel alii duo milites ipsius Ricardi et monachorum judicio ad hoc electi. Si vero in terra de Castelliolo Ricardus habitaverit, quantum poterunt adjuvabunt eum monachi precibus tamen solummodo apud dominum Gaufridum de meduana non permittat ei in foresta sua ligna mortua ad focum. Quod si Gaufridus facere noluerit, nichil tamen adversus monachos quavis transgressio pactio Ricardus reclamare poterit. Simili etiam conditione rogabunt aliquem de vicinis baronibus terre quatinus secum illum in consortio suo tenet et familiarem habeat, quamdiu servitium illius ei placuerit, aut ipse Ricardus cum eo habitare voluerit. Quacumque vero predictarum terrarum Ricardus habeat si in ea habitationem construere voluerit in auxilium edificandi dabunt ei monachi XX solids cenomannensium et in eadem terra manentem sicut hominem suum adjuvabunt et manutenebunt quantum dumtaxat secundum rationem et justiciam poterunt et debebunt. Preter hec dabunt monachi annuatim Ricardo XXX solidos cenomannensium in primo festo sancti Remigii post reditum illius ab Jerusalem reddendos et deinceps ad eundem terminum, de quibus tamen post mortem illius nulli hominum respondebunt. Sed nec de debitis illius monachi tenentur, obnoxii aut nulli hominum, ullo umquam tempore, respondebunt. Concessit etiam idem Ricardus antedecte ecclesie et monachis in elemosinam perpetuam quicquid habebat in ecclesia et in decima ville et parrochie Savigneii. Cum Alano quoque fratre Ricardi hujus modi pastum fecerunt monachi. Alanus concessit plene et ab ulla retentione omnem donationem quam fecit frater suus Ricardus. Monachi vero dederunt Alano totum herbergarium Ricardi sicut continetur inter ecclesiam et terram de Cornailleria et oscas istas videlicet Herberti Grece, Gauteri Baillol, Guillelmi de Belveir, et aliam que est juxta Reinoardieriam et unam acram terre in Cormailleria de se tenendam cum alia quam ante tenebat pro redditu X denariorum in festum sancti Remigii de duabus illis acris terre reddendorum. De una vero illarum que est versus Castellaria habebunt monachi decimam. Preterea monachi dederunt Alano illud quod habebat Ricardus frater suus in piscaria de Arunt subtus Castellaria et masuram que dicitur Ogeret propter quam ipse Alanus dedit eis masuram que dicitur Berauderia et quartam partem mesure que dicitur Tieburgeria. Concesserunt etiam ei monachi in bosco et in molendino et in omnibus omnino rebus secundum suum et illius feodum rectam et legitimam communionem. De molendino quoque concesserunt quod profectu eorum non cadet et quod homines ire cogentur sicut debent. Recepit quoque Alanus feodum suum a monachis quasi a primogenito et queque primogenito debentur se eis facturum promisit. Ipsi vero sub protectione sua illum receperunt et loco fratris primogeniti se illum in omnibus manutenendum pepigerunt. Monachi vero Savigneii dederunt Alano de caritate ecclesie propter omnes supradictas donationes et concessionem tam de feodo suo quam de feodo Ricardi C solidos cenomannensium et equum unum et duos boves et uxori sue duas vacas et matri sue duas, que etiam prefatas donationes concesserunt et doarium quod in eadem terra se habere dicebant prefate ecclesie et monachis quiete et absolute promiserunt. Promisit etiam Alanus monachis quod omnes predictas donationes et conventiones faceret concedere Nigellum fratrem suum qui tunc absens erat quod si ullo modo posset contra ipsum Nigellum et contra omnes homines totis viribus cum ipsis monachis firme et fideliter se teneret. Et sciendum quod de omnibus terris quas monachi vel homines sui tenebant, habebunt ipsi decimas et Alanus similiter de suis et hominum suorum terris. De servitio quoque regis monachi de feodo quod ad eos pertinet et Alanus de suo feodo respondebunt. Pacti hujus tenorem fideliter firmiterque servaturos se et predicta omnia quantum poterunt adversus omnes homines defensuros juraverunt fratres predicti, Ricardus scilicet et Alanus in curia mea apud Filgerias, me ipso presente testibusque subscriptis presentibus, Guillelmo abbate, Hamone et Gaufrido et Perto monachis, Juhello canonico, Guillelmo Andegavensi, Pagano de Iveio, Adam de Soligneio, Leones.